

dicina ille ipse est & retinetur, si vel cum Averroë & Avicenna incipiatur à subjecto, in quod sanitas, ut finis, per remedia est introducenda, vel cum Galeno, de sanitate, deq; salubribus & insalubribus, præcepta præmittantur.

69. Sed neq; hoc asserendum est, Apostolos methodo synthetica esse usos, quoties à vanis rebus jusserunt gentes sese ad DEUM vivum convertere, per quem omnia facta sunt, & in quo sumus, vivimus & movemur. Etenim quum rationes naturales ostendant, DEUM esse, nec illæ gentibus incognitæ fuerint, juxta illud: *ἐκ ἀμαρτηρῶν ἑαυτὸν ἀφῆκεν*: & *τὸ γνωστὸν τῷ Ἰησοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς*: ab his principijs, natura notis & præsuppositis, solebant plerumq; conciones suas exordiri Apostoli ad gentes, ut, quandoquidem non negare poterant, DEI notitiam ad veram beatitudinem omnino necessariam, intelligerent jam tandem, nisi in illo viro eam acquiri non posse, per quem Deus constituit judicare orbem terrarum. Act. XVII. & propterea non repudiarent posthæc prædicationem Evangelij de æterno DEI filio, ad salvandos peccatores in carnem misso. Nullum & hic ordinis synthetici vestigium, quum principijs natura notis adjiciatur aliud principium ex testimonio DEI, per filium incarnatum factò, inq; sacris literis perscripto, unde discere liceat, quomodo è revelatione peculiari ad vitam atq; beatitudinem æternam perveniri possit.

70. Nec alia methodo Apostoli informarunt Judæos, ac infideles, nisi quod illi largirentur auctoritatem scripturarum Propheticarum, quamquam malè intellectarum; his autem ea persuadenda erat. Utrisque inculcandum, non nisi per fidem in Christum veram beatitudinem acquiri. Utrobiq; igitur secundum ductum ordinis analytici procedendum.

71. Largior quidem, modum proponendi alium esse catecheti- cum & minus exquisitum, ut quo utimur in rudioribus, sive infantibus, sive gentilibus, lacte; non solido cibo indigentibus: alium magis exquisitum & quasi acroamaticum, pro ijs, qui à præcipuis fidei capitibus ad alia his annexa descendunt, & difficultates circa fidem subortas enodant. Ultraq; tamen ratione ex præscripto ordinis analytici proceditur, quia rudioribus in libris catecheti- cis illud Exod. XX. initio inculcatur. Ego sum DEUS, DEUS tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem, & faciens misericordiam: adultis autem, qui